



Samelbd.

0/0

die,

63

DE
HVMILITATE PRAECEPTORVM PRAECIPVO
REI SCHOLASTICAE

IMPEDIMENTO

COMMENTATIO SCHOLASTICA

QVA AD

QVATVOR
DECLAMATIONES

DIE INSTAVRATIONIS RELIGIONIS MEMORIAE
SACRO

BENIVOLE AVDIENDAS

HVMANISSIME INVITAT

CAROLVS HENRICVS SINTENIS

AA. LL. M. LYCEI TORGAVIENS. RECTOR.



LIPSIAE,

EX OFFICINA IACOBAERIANA.

MDCCLXXVIII.



DE
HISTORIA REIPUBLICAE RHEIMINGENSIS
CIVITATIS RHEIMINGENSIS
CIVITATIS RHEIMINGENSIS

DE
GAVTOR
DEGAMATONES

DE INSTITUTIONE REIPUBLICAE RHEIMINGENSIS

REIPUBLICAE RHEIMINGENSIS

REIPUBLICAE RHEIMINGENSIS

CAROLVS HENRICVS SIXTUS

REIPUBLICAE RHEIMINGENSIS



LIBRARIUS
IN OFFICIO
MORAVIENSIS





SEVSIPIVS, quem, vt *Cicero* putat, Philosophiae heredem reliquerat *Plato*, apud *Laertium*, in pariete auditorii *Charitum* imagines suspendisse. legitur, et saepius iam miratus sum, neminem illorum, qui in iuuentute, institutionis atque disciplinae auxilio formanda fingendaque, versentur, inueniri, qui, huius Philosophi morem imitando exprimens, has effigies, non solum multum squaloris atque fumi in pariete scholastico obtegentes, sed etiam permagnam oculis vopratem afferentes, in schola restituere conetur. Quis fuit, qui non aliquam modo Sapientiae mensuram sibi vindicandam censeret, quique non omnem, quam sibi affinxerat, intelligentiam rationibus ludorum emendandis accommodaret? quantus, immo quam immensus est numerus auditorum, qui, saluberrimis optimisque consiliis scholarum publicarum saluti consuluisse se, sibi gratulentur! non in dies fere augetur societas illorum, qui publicae educationis inuenta, recens excogitata, nobis magister obtrudere posse, sibi datum putent? hi omnes igitur, ehea conditionem istius temporis! hi omnes nihil praeclari praestitisse creduntur, quod hilaritatis sensu, animique grati aestimatione esset excipiendum? aut frustra laborarunt, et adhuc laborant, aut nos omnes, in palaestra qui sumus occupati, obtusi animi culpa luenda tenemur! certe, mihi crede, prius est. Hinc *Pancirolli* rebus deperditis annumeremus *Spensippi* *Charites*, et fortasse omnis spes est abiicienda, fore, vt vnquam tempus eueniat, quo noua illarum inuentio *quadraturae circuli* sit asserianda. Nam, vt verum pretium omnibus nostrae aetatis institutis scholasticis statuamus, primum candide fatendum est, in ingente et vasto numero illorum, qui animum ad instaurandam omnis disciplinae liberalioris normam appulerint, permultos deprehendi, maxime in ignos, qui de insigni et splendido *Emendatorum Scholarum* nomine vere g orientur.

IV

Nouandi lubido, et quasi scabies quaedam in abrogandis multis, quae non noxiae, sed vetustatis speciem haberent, plurimos impulit, ut reprehensionibus studerent, et, fordido quaestui et lucro operam dantes, saltem aliquid dixisse viderentur. Ipsi sibi melius consulissent, si maiori fide atque conscientia rationis Deo reddendae se impediri passi essent, quo minus non solum Patriae, sed etiam Religioni vulnera, nunquam sananda, infligerent. Sed, missis his, *quos nemo omni gratia atque aura populi, qui decipi vult, priuabit*, licet aliquot saltem sint, quibus ne vllus quidem intelligentiorum virorum, in constituenda, et diuinarum, et profanarum doctrinarum, tractatione, eaque fructuosissima, Sapientiae atque Prudentiae laudem deneget, tamen, si omni animi integritate atque simplicitate illorum benefacta et merita mecum perpendo, palam dicere cogor, non solum perparum esse, quod in vniuersum consecuti sint, sed etiam plurimos illorum iniusto et iniquo modo curam rei suscepisse, aut a calcæ ad carceres, non e carceribus ad calcem excucurrisse. Gratissimo certe animo agnoscunt *Musæ*, se ope horum praestantissimorum Virorum, deposita tristi, lugubri, et squalida toga scholastica, pueros atque iuuenes posse salutare in multo splendidiori amictu atque ornatu, gestiunt prae gaudio, quod, sordibus, quibus inquinatae videbantur, absterferi, discipulorum gratiam atque amorem aucupari possunt, et multo hilariori passu, immo pleno cursu, hos ducunt ad templum Probitatis atque Doctrinae. Ipsi porro *disciplinae alumni*, licet non omnes, ab exquisitissimis nimis acerbae institutionis tormentis liberati, gratias agunt his Viris, quas possunt obstrictissimas, incenduntur quotidie maiori et pietatis, et literarum ardore, non percussi terrore, et contremescentes, sed sereno vultu, et laetantes, ad praeceptores accedunt, et in spem Reipublicae tam sacrae, quam ciuilibus, acquisitis quotidie nouis viribus, succrescunt. Sed hic sedet in suggestu scholastico *bonus magister*, is solus est, qui *premit adhuc altum corde dolorem!* omnia, quocumque oculi eius incidant, ridendat, ipse vnus est, qui curis, tristitia, luctu angitur atque affligitur! omnibus ipsius schola similis videtur hortis amoenis, ipse vero, nisi animum, subactum a sollicitudine, erigit spe promissionum diuinarum, putat, contineri se *ergastulo*, in quo *labores grauissimi* compensentur *victu arido!* Quis est, qui huius commiseratione sic tangatur, ut illam, non verbis, et meris consolationibus, sed factis comprobet? quis est, qui huic infelicissimo serio succurrat? quid? *ne scholae instaurator* quidem? hic intrauit

uit scholam, ob nimiam capitis declinationem, ad simulandam humanitatem, paene incuruatus, conspexerunt omnes, siluerunt, arrectisque auribus adstiterunt, rexit dictis animos, et pectora mulsit, — quid vero de meliori forte magistri? hanc blanda vanitate, magnaue verborum atque vrbانيتatis luxuria augendam commendauit, sed non curauit! vix credet Apollo! ipsae Musae non possunt non de eiusmodi euentu *Emendationis* ingemiscere, fugamque minantur his vocibus: *pudeat te Sapientiae, qua alumni nutrimentum curas, sed magistri inopiam negligis!* Quid igitur de omnibus, quae huc vsque in commodum scholarum publicarum inita sunt, consiliis statuendum est? quid effecerunt, quidque efficient? oleum operamque perdunt, qui, praeceptorum humilitate non sublata, vlla vnquam ratione ludorum conditionem vere se esse emendaturos, sperent. Hoc est, quod in praesenti comprobare mecum constitui, agens de *praeceptorum humilitate, praecipuo rei scholasticae impedimento*. Antequam vero ad ipsum huius prolusionis argumentum progredior, opus est, vt propositum indicem, quod in illa emittenda habuerim. Non eo consilio scripsi, vt *de sorte mea conquererer*. Fretus, nisi fallor, *Optimi cuiusque assensu*, quotidie arctiorem cum fortuna familiaritatem contraho, et labores qualescunque meos non tanti faciens, vt plus mercedis postulem, omnibus aliis iam sic adsuefactus sum, vt mihi non multum molestiae pariant. Hic potius, quem spectauit, finis est, vt appareat, omnem spem melioris status scholarum publicarum esse irritam, nisi, *emendata disciplina domestica*, de qua anno superiori conquestus sum, *fortunae praeceptorum augendae habeatur ratio*. TV, Lector Humanissime, addis mihi beniuolentia, et, quae spero, ea optatis atque studiis adiuues.

Dicatur *Pythagoras* scholam intrasse, *corona aurea ornatus*, nemo ordinis scholastici est, qui huic Philosopho aemuletur, aut persuasum habeat, in eiusmodi splendoris defectu positam esse omnis dignitatis iacturam. Nos non eo arrogantiae progredimur scholarum magistrum, vt Summis imperantibus pares putari postulemus, ipso vsu edocti, tempora mutari, nosque ipsos cum illis, neque quisquam nostrum reperitur, qui ciues ingratos atque impios hoc nomine appellet, quod non *Attali*, aut *Craffi*, aut *Luculli* opes, ipsi congestas, conferant, et, si quidam sunt, quod tamen vix credam, qui illiberali, sordido, et nefando quaesui

scholam habeant, aut, qui turgido, atque tumido fastu sint inflati, iniquissimus tamen esset, talium virorum culpam si in omnes ludorum praeceptores conuiceret. Hoc tamen est, quod iustissimum nobis videtur, ut, licet nobis non aedificetur nouum *Prytaneum*, victus tamen quotidianus, isque laboribus dignus, *domi* praebatur, et, licet non decoremur amplissimis honoribus, tamen aestimationem, beneficiis, in ipsam Patriam collatis, respondeantem, commereri censeamur. *Nulum theatrum*, ut *Cicero* Tusculana tertia ait, *virtuti, conscientia, maior est*, et haec est, cui consulendum putat magister fidelis, hic porro probe scit, et in consolationem quotidianam ponderat omnes promissiones, easque maxime indubitatas et certissimas, quas summa Dei, in remunerandis honestis, iustusque gloriam cebrantibus laboribus, iustitia atque misericordia, licet non semper hac in vita, quae vera virtutis praemia non spargit, tamen in futura, eaque multo meliori, magistris germanis, atque haud improbis sperandas proposuit, quid? quod, omnem, quae cum munere scholastico coniuncta praedicatur, illique maxima cum veritate tribuitur, suauitatem atque iucunditatem quotidie sentit, ortam ex ipsa rerum tradendarum indole, ex tanta, et vix animo comprehendenda, ingeniorum diuersitate, et ex iucundissimis discipulorum, in spem patriae, atque parentum in dies augendis, profectibus, sed haec omnia non tantam in ipsius animo possunt habere vim, et ne ipse Deus quidem ut unque hoc ab illo reperit, ut omnem humanitatem abneget, exsuat, atque deponat, ut tanta animi acuitate, quanta nunquam in hominem vllum cecidit, egesta em, famemque ferat, et de conuentione, neglectu, despectu, et fere fugillatione operum laborumque suorum, ne minimas quidem moueat querelas. Dicatis igitur, et scribatis, quaecumque vobis videantur, vos, qui pro nostrae aetatis delicatae gustu, et reipublicae eruditorum conuulsae atque luxatae indole, in scriptis germanis maxima verborum amplitudine, nec solum a spiritu quo tam poetico suggesta, sed etiam exquisitissimo fere ingenii tormento inuenta, dictionum dulcedine, de educandae iuuentutis cura, de huius cura grauitate, et praemiis dignissimis, scholarum magistris erudire constituisis, dicatis, inquam, et scribatis, quaecumque vobis videantur, non noua proferuntur a vobis illis, quibus vos dicere et scribere putatis, hi omnes e *Xenophontis, Plutarchi, Ciceronis, Senecae, et Quintilianii* frequentissima lectione et, ratione praemiorum diuinorum, e libris sacris, eadem illa, et multo meliora sunt

sunt edocti. Hoc potius agatis, de eo laboretis, in illo desudetis, et quidem non *dicendo*, aut *scribendo*, sed *efficiendo*, ut *Humilitas* auferatur, tollatur, et propellatur, quae communis plurimorum praeeptorum fors, et praecipuum rei scholasticae impedimentum nominari meretur.

Sed *Humilitas*, nonne virtus est? bone Deus, quae tempora! qui mores! hoc scilicet desideratur adhuc, ut dissuadeas scholarum magistris *modestiam*! quae erunt scholae, haec virtus nisi sit illarum ornamentum! non sunt discipuli in consuetudinem illius mature adducendi? quem multi, quid? quod, quam effrenati erunt aduli iori aetate in laudandis operibus suis? quis erit, qui ferat vel ipsius ludi moderatoris superbiam atque arrogantiam, qua, quoniam *scholastica* foret, nil cogitari posset, quod difficilius esset tolerandum? At vero, bone vir, qui praeter *doctrinae corpus*, atque *compendium*, parum es versatus in latinis scriptoribus, non est, quod mihi irascaris, per te solum stat, quo minus me intelligas, cur mihi culpam tribuis, quod, dum ego de *Humilitate* praeceptorum loquor, tu memor es *cantus Mariani*? teneas igitur, hac voce non illam virtutem apud Romanos insigniri, quam tu *Modestiam* appelles, neque vllum elegantissimorum illorum, in vitam reuocatum, tu si eadem, quae *animi submissioni* conueniunt, *Humilitati* vindicare velis, mentem tuam esse percepturum. Omnis igitur timor, ne magistri scholarum, homunciones illi, sublata et remota *Humilitate*, euadant veri, stulto atque barbaro fastu elati, superuacaneus est, potius mihi crede, non iura o, neminem in vniuersum illorum, qui sub *Humilitatis* scholasticae onere ingemiscant, etiamsi ab illo fuerint liberati, multis Theologis, in exercenda illa moderatione atque temperantia, quam *Humilitatem* fati barbare nominant, quamque *aliis* magna vbertate commendant, quid esse concessurum. Neque est, quod quisquam paret, vim *Humilitatis* in praefenti nobis positam esse in *animo abiecto*. Negari enim non potest, et neminem praeterit, qui modo in *peem* auctorum classicorum usum consecutus sit, hac in potestate saepe nobis occurrere hanc vocem in antiquitatis venerandae monumentis, ut exprimat illam hominis indolem, quae opposita est *magno animo*, quaque, ut *Celeberrimi Ernesti* in *epistola* *io- ne* vtar, aliis supplicamus, et indigna nobis facimus. Luculentissimus sane locus, quem, pro comprobanda hac notione asserere potuit *hic* *Stator Humanitatis*, legitur apud *Ciceronem*, de *Orat.* lib. I. cap. 53. vbi, postquam

postquam in antecedentibus de *Servio Galba* sermo fuit, qui, quaestione in illum lata, nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas fuisset daturus, statim addita leguntur sequentia: *haec Rutilius valde vituperabat, et huic* HVMILITATI *dicebat vel exilium, vel mortem fuisse anteponendam.* Quid? quo? in Philippicarum secunda, cap. 32. Cicero utramque vocem coniungit, dicens: *quis vquam apparitor tam humilis, tam abiectus?* sed hanc mentem *Humilitati* iam non tribuo, immo interrogatus, quid de eadem huius vocabuli notione in praesenti causa statuam, *silentio* respondeo. Age igitur opus est, ut accuratius finiatur, quid hac in pro-
 positione significet vox *Humilitatis*, ne quis forte alieni quid, siue a proposito nostro abhorrens, in illa quaerat. *Humilitas* praeceptorum cenitur in *exiguo illorum honore*, atque *egestate*, qua quidem in significatione non minori elegantia, quam de animi *illiberalitate* atque *forâibus* dicitur. Cicero enim, cuius auctoritas in Latio grauissima est, cap. 47. orationis pro *Rostio Amer.* verba faciens de bello ciuili, quod *Sulla* et *Marinus* gesserant, et de nimia partium illarum diuersitate atque dissimilitudine, quaerit: *quis erat, qui non videret, HVMILITATEM cum DIGNITATE de amplitudine contendere?* in quarta porro et decima Philippicarum cap. 13. consolatur illos, qui cognatos in proelio, ad *Mutinam* commisso, intererunt lugebant, his verbis: *non sunt iniurati, nec deferti, nec dispersi bustis HVMILI sepultura cremati, sed contectis publicis operibus atque muneribus, eaque exstrukione, quae est ad memoriam aeternitatis ara virtutis.* His locis fidem habeat bonus noster *Modestiae* doctor, et credat, nos sui tantum studio, ne ipse, timidus nunc Latinitatis iudex, aestuet dubitatione de hac *Humilitatis* potestate, esse commotos, ut hos *Ciceronis* locos adiceremus, quorum veniam a reliquis Lectoribus si impetrauerimus, illum ipsum rogabimus, ut intermittat, scholarum magistris *Humilitatem* commendare, et, relicto interprete Vulgato, ad illorum ludos redeat. Omnino vero omnes isti, quibus sufficit, mentem qualicumque ratione exprimere, hoc sibi optimo animo dictum putent, illa ignominia, quam *barbariae* animaduersio secum afferat, nihil maius, nihil inter doctos insolentius inueniri, auresque elegantiorum vocum vsui atque sono aduefactas maximo taedio, maximaque auersatione fugere omnia sermonis vitia, omnemque a politionum consuetudine recedentem in dicendo ac scribendo asperitatem. Res licet sint vel maxima ingenii felicitate inuentae, et summo iudicii acumine in ordi-

nem

nem cohaerentem redactas, et quasi conglutinatas, tamen, nisi verba illis significandis sunt aptissima, nisi elocutionis munditiei, urbanitati, copiae, atque ornatui in illis tractandis consulitur, non sunt dignae, quae eruditorum adspectui exponantur, aut quae doctrinae gloriam mereantur. Sed ne diutius a proposito abripiamur, feruore quodam, qui parum conducit magistro nostro *humili*, si a risu, quem captat, discesseris, reuertamur ad id, in quo substitit oratio. *Humilitas* igitur denotat in praesentia *contentionem*, atque *egestatem*, siue illam viuendi conditionem, quae plurimorum iudicio parui habetur, et largae mercedis vbertate non adeo digna censetur, sed quae simul etiam, infimorum fere reipublicae ciuium forti haud impar putata, atque ad miseriam deiecta, paene omnibus despectui est, et maxima rei familiaris, eiuque necessariae, inopia premitur. Tristissimam sane imaginem! luctuosissimum, funestissimumque statum! ordini hominum illiberalissimo, obscuraeque ciuitatis multitudini, quae ab omni honoratiorum ampliorumque consuetudine remota, et omni dignitatis atque aestimationis spe est destituta, annumerari, atque ad sententiam fere reipublicae referri, simul vero hac in contumeliae, ludibrii, ac prope infamiae colluue, necessariis vitae conseruandae praesidiis carere, et cum ipsa fame, atque aerumnis conflictari, quid grauius, quid molestius, quid acerbius cogitari potest? eiusmodi infelicissimi hominis squalor atque luctus, moeror assiduus, desiderium, atque lacrimae tectis a tenebris continentur, angoribus et sollicitudine ille conficitur, et, acerbissimae morti reseruatus, lente moritur!

Quis vero nunc est, qui primo adpectu putet, hac descriptione adumbrari plurimorum scholae magistrorum conditionem? quis est, qui iuuentutis, futurae ciuitatis, institutionem tam fordidum, tamque inhonestum negotium existimet, vt contentionem, atque penuriam pariat vitris, qui illi impense operam dant, viresque omnes, et animi, et corporis, in illo profligando consumunt? quis est, qui ipsos parentes eo inhumanitatis, quid? quod, crudelitatis in se progredi posse, persuasum habeat, vt iis ignominia atque inopia remunerentur et compensent molestias, qui ipsorum liberis Sanctissimae Religionis, Artiumque Saluberrimarum alimenta praebent, et hac ratione spem senectutis ipsorum sustentant? *Is solus*, inquit *Seneca* de Tranqui animi cap. 3. *reipublicae non prodest, qui candidatos extrahit, et tutur reos, et de pace belloque cen-*

set, sed, qui iuuentutem exhortatur, qui virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat, ac retrahit, et, si nihil aliud est, certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus praestat, qui inter peregrinos et ciues, aut urbanus praetor aduentibus adfessoris verba pronunciat, quam quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contentus, quam gratuitum bonum sit bona conscientia? Verum est, haec sunt rectissime, et pro dignitate, immo necessitate muneris scholastici tam luculenter dicta, vt vix credas, quemquam reperiri, qui in ponendo muneribus publicis pretio, ad firmandam patriae salutem, plurimum a palaestrae magistris conferri, neget, sed nihilo minus ipsa experientia testatur, plerisque illorum fortunam hanc communem esse, vt de *Humilitate*, siue contentu atque egestate, conquerantur. Quid enim refert, vnum et alterum, siue exquisita rei grauitatis cognitione, atque animi integritate impulsum, siue ostentandae sapientiae ac liberalitatis stimulis incitatum, dignissimam illis impertiri laudem, qui in scholis publicis puerorum atque iuuenum ingenii exercendis tempus vitamque consecrant? quid refert, aliquot inueniri, qui ipsum munus scholasticum in tanto honore habeant, vt inter reliqua officia, atque merita in patriam publica, illi ipsi locum concedant honoratissimum? gratias illis agunt boni ludorum magistri, quas possunt, maximas, et multo adhuc plures habent, quam paruus vero est illorum numerus, qui tanta aequitate iudicent? Sapientum quidem societas, illam si cum stolidorum, insulorum, ieiunorum, atque stupidorum caterua atque grege contuleris, omnibus temporibus, et in omni regione, fuit, est, atque erit exigua, sed nescio, vnde hoc malum ortum sit, vt de praesenti caussa, quae per se euidentissima est, tot numerentur, qui — ne dicam, quod res est, tam iniue, tam iniuste cogitent et dicant. Maxima sane pars hominum eo in iuuentutis doctores est animo, vt, vel praesentibus liberis, quam abiectissime de illis loquantur, plurimi, si ludi magistrum conspiciunt, haud scio, quid miseri cernere sibi videntur, quod, quo diutius intueantur, eo maiorem non solum commiserationem, sed etiam auersationem, moueat, ipsa loca, quae compotorum, atque colulorum lubricini patent, non putantur aliena et inhonesta, quin ibidem diceris, et maxime contumeliosis sermonibus profcindantur ii, qui publicae institutionis curam gerunt, omnes, qui modo aliquam circulis delicatorem conuenientem morum culturam, atque vrbauitatis speciem prae

se ferre cupiant, tam emunctae naris sunt, ut in consuetudine illorum, quibus erudienda atque polienda iuventus est tradita, odorentur tam ingrati, tam molesti quid, cui theca pulveris sternutatorii, aut laguncula, liquore odorifero referta, vix resistere possit, immo, quibus maxime de eo laborandum esset, quo augetur externa vitae scholasticae dignitas, quorumque plurimum interesset, tales viros ludis praefecisse, quos honore atque cultu reliqui omnes prosequerentur, illi ipsi non parum conferunt ad minuendam magistrorum auctoritatem, illorumque gratiam extenuandam. Sit igitur, ut vnus itemque alter institutionis puerilis atque iuuenilis gubernatores magna obseruantia colat, quis est, qui illis damnum praeflet, ex multo frequentiori, et prope communi contemptu in ipsos redundans? Largiamur porro, quosdam scholae magistros in omnium omnino oculis fuisse, et adhuc esse ornatos, illorum vero numerus valde impar est numero eorum, qui inhonorati atque contemnendi censentur. Num hi omnes, qui illis longe multumque postponuntur, dexteritate, atque fide, in obeundis officii partibus, vere superantur? num fortuita, et casu quodam acquisita, illis, quibus contigerint, veram praestantiam, atque gloriam conciliare, illos qui iisdem careant, dedecore, atque ignominia adspargere possunt? num omnes, quibus fortuna externum splendorem, atque altum honoris gradum denegauit, et praerulit, quasi ludibrio sunt excipiendi? Deus et hic est iustissimus iudex, qui vnuscuiusque integritatem atque seruorem, in curando opere suo optime nouit, quique, non spectans hominum, quia decipi possunt, iudicium, cui libet laudis mercedem seruat aequissimam, dolendum tamen est, plurimos in officina Spiritus eius Sanctissimi laborantium tam finistre, tamque inhumane a vitae locis iudicari, ut vix eodem honore digni aestimentur, quo in agris viuentes colunt seruos, taurorum, equorumque pabula curantes. Huius accedit, quod hic communis fere contemptus non vnus est, de quo hi viri grauissimas querimonias iaciunt et effundunt, miserandam etiam vitam in *egestate* degunt. Facilis hic iterum sum in concedendo, quosdam e numero illorum locupletes vixisse, et adhuc viuere, qui tenuitatis atque inopiae onera nec senserint, nec sentiant, plurimi tamen illorum opes certe non debent statis munerum redditibus, sed alia, eaque fortuita, et saepe inopinata ratione illas collegerunt, et, licet nonnulli sint, qui eiusmodi officiis sint perfuncti, et adhuc funguntur, quae magna praemiorum

rum vbertate labores atque molestias compensent, plerique tamen, aequè meritiſſimi, cum fortuna aduerſa conflictantur. Plurimis illorum laborioſa quotidie ſex, vel octo horas docendi prouincia eſt tradita, vt exquisita, et ad animum commouendum a commodata Religionis amantiſſimae cognitione alumnos imbuant. vt ducant pueros et iuuenes ad Sapien-
 tiae humanae riuulos, ex Graecorum, Latinorumque ſcriptis leniter manantes, vt parent illis aditum ad linguae hebraeae conſuetudinem, vt inſtitutorum Criticorum guſtum quandam aſſerant, vt eloquentiae, poe-
 ſeos, antiquitatis, hiftoriarumque fontes interpretando aperiant, vt pur-
 gent diſcipulorum mentem a corruptelarum fordibus, vt adſueſciant illo-
 rum animos atque aures rebus cum ſenſu audiendis, et rectè ſcienterque
 imitandis, quantum vero pecuniae numeratae illis ſoluitur? *centum*, ac
 ſaepe *vix quidem*, imperiales, ita, vt reliquis emolumentis, et ſcholis,
 quae dicuntur, priuatis, et priuatiſſimis, gallicis, italicis, anglicis, (quid
 enim eſt, quod non exigatur in *Germania* ab vno ſcholae magiſtro?) in
 eaſdem tabulas accepti relatis, omnes omnino reditus vix numerum con-
 ſtituant *ducentorum*, aut, ad ſummum, *trecentorum* imperialium. Per-
 multi ſunt, qui ne hanc quidem mercedem reportent, ſed ſumas, ean-
 dem illam omnibus huius conditionis praeceptoribus praebere, et ſingas
 praeter labores Herculeos, vnumquemque illorum magiſtrorum tam reli-
 gioſum eſſe, vt, ad accuratiſſimam ſollertiſſimamque muneris demandati
 adminiſtrationem, vtiliſſima Humanitatis ſubſidia ſibi comparanda curet,
 ſac, illum in ciuitate viuere, quae, non alienata a cultus elegantia atque
 venuſtate, ad defendendum officii ſcholaeſtici contentum, ab ipſius ma-
 giſtri victu atque cultu rationes deducat ſane non leuiſſimas, pone, illum
 aliquot liberos ſuſcepſiſſe, quorum nutrimenta atque veſtitus varias, eaſque
 multas, impenſas poſtulent, credas, fieri poſſe, vt frequentiores morbi,
 et alia calamitatum genera, aut ipſum, aut gentem eius, opprimant,
 quanta ſollicitudine, quanta anxietate *ſumma illa imperialium* ab *humili*
 noſtro praeceptore eſt diſtribuenda, vt muneris dignitati ſemper inferuiat?
 Quoties igitur occulte gemit malum ſuum! quot curis, quot aerumnis
 frangitur! quid eſt, quo animum ab aegritudine abducat? ſane in maxi-
 me lugubri vitae conditione, id quod comprobandum in praefenti erat, in
 ſqualore, atque fordibus egeſtatis plurimi ſcholaeſticatorum praeceptorum
 ſpiritum trahunt, nil, niſi miſeriam, inſtar praemii, vident, et quaſi
 extre-

extrema pro salute publica patiuntur tormenta atque supplicia! Quae omnia quo facilius credantur, addam postremo testimonia, quae, quoniam a Viris valde conspicuis sunt profecta, satis lucubenter docent, rem non esse nimis a me auctam, aut nimis studiosa commiserationis commouendae ratione descriptam. *Trotzendorfsius*, Saeculo XVI. Goldbergenfis ludi magister, quamuis *triginta* annos tot alumnos instituerit, ut satis magno exercitu Turcam se profligaturum gloriaretur, tamen hoc habuit sepulchri elogium:

Artes tradebam totius tempore vitae,

Et, quae sunt mundi praemia, *pauper eram.*

Zechendorfsius porro, cui, in gratiam ciuitatis, cuius scholae praefuit, vix fidem haberes, nisi, quod dicam, veritati conueniret, in effigie sua haec verba apponi iussit:

Et mihi post *famam* dat schola sola *famem.*

Christophorus Wienerus denique, qui in Gymnasio Gothano quondam docuit, copiosissimam calamitatis scholasticae descriptionem composuit, his verbis expressam:

Pro tam difficili plenaque labore palaestra

Hi sunt thesauri diuitiaeque meae:

Pulueris absorpti drachmarum pondera centum,

Paedorum, et bilis mixta felibra duum,

Laesa valitudo, macies cum tulle, catarrhus,

Cum peripneumonia pallor in ore grauis,

Ira, odium, inuidia, et liuor, contentio pugnae,

Nilque, nisi in vacua, Bibliotheca, domo,

Aere crumena carens, perpauca, aut gratia nulla,

Graudia magnifici lucra magisterii!

Pluribus non opus est, hoc vnum igitur adhuc monebo, ne putes, eiusmodi querelas aetati horum Virorum esse concedendas, cuius barbaries, difficultas, atque negligentia in remunerandis meritis tam horrenda fuerit, ut cum nostris temporibus, *usque multo elegantioribus*, nequaquam esset comparanda. Est contra certissimum, pristina tempora a praesentibus hac tantum ratione differre, ut illa, ob defectum tanti luxus, tantaeque necessitatis, quae nostram aetatem premunt, fuerint adhuc multo feciliora, et iustiora in rerum diuinarum humanarumque doctores, ob maiorem tam religionis, quam doctrinae exsultationem.

Iam vero quot, et quanta detrimenta scholis importat praeceptorum *Humilitas!* quam parum est, quod praesent omnia, eaque vel saluberima, de rebus ludorum emendandis atque augendis, inita consilia, nisi ornandis magistris aetas studuerit nostra! Quodsi vnquam in optatis habui, ut quaedam verborum grauitas in istam ingenii mei, orationisque tenuitatem caderet, maxime in praesenti eadem ut mihi contingat, cupio. Vulnere certe non sananda Scholae infliguntur ab hac crudelitate magistris inimica, certe impedimenta, quae rei scholasticae affert, si recensere constituissem omnia, abuterer sane *lectoris* patientia, cui iam in antecedentibus, motis tot querimoniis, fortasse haud multum consuluisse videor. Omnium igitur grauissima tantum eligam, quae ab vnoquoque Patriae amantissimo maxima cura maximoque studio agnosci mereantur. Primum quidem hoc est, *bona ingenia a munere scholastico deterrentur ignominia atque inopia*. Omnium in vniuersum scholae magistrorum *Censum* si haberes, certissime deprehenderes, illos solos, quos *desperatio presserit*, aut *singularis in literas amor impulerit*, in haec ergastula detrudi se, passos esse, et, licet in his, quos postremos nominavi, non desideretur magna ingenii praestantia, plurimi tamen, quibus natura non minus excellentes animi dotes concessit, aliam potius quamcunque viuendi conditionem sibi eligunt, quam scholasticam. Nemo sane est, qui, larga reddituum copia, aut splendida honoris magnitudine incitatus, in palaestram se conferat. Quamquam enim nonnullae scholae tam egregie sunt comparatae, ut illarum magistris, et dignitatis amplitudine, et mercedis ubertate fruantur, valde tamen exiguus est illarum numerus, et perpaucis viris contingit, esse tam felicibus, ut tanta spe alliciantur.

Quid

Quid inde? obtruduntur non solum plerisque scholis omnes illi, quibus post longinquam provinciae obrinendae expectationem, eamque saepius irritam, desperandum est de alia quacunque muneris consequendi opportunitate, quique nulla alia ratione vitae sustentandae prospicere possunt, sed etiam permulti, quibus natura, in distribuendis animi facultatibus, aptissimas disciplinae scholasticae largita est, tanto fastidio illam fugiunt, atque auersantur, ut ad alium quemque vitae statum maiori studio, quam ad ambiendum munus scholasticum, ferantur. Frustra enim est, quod moneas, magnaue severitate iniungas, iniquum et iniustum esse, homines, in muneris partibus excipiendis, praeter gloriam Dei, felicitatemque societatis humanae, quidquam aliud spectare, ea perpetuo erit animi humani indoles, ut in ipso Dei hominumque cultu fortunam secundam praeferat aduersae, si utraque ex ipsius arbitratu pendeat. Neque enim Deus impetum nobis insequit ad aerumnas quaerendas, sed vitae commoditatem, quam iuvat ipse, non necessaria modo sumministrans, sed etiam commoda, iucunda, decora. Eiusdem Sapientia sic nos comparauit, ut laudis studio trahamur, atque optimus quisque gloria ducatur, diuinaeque oracula eandem contentionem nobis imperant. Illi ipsi, qui nimiam poscunt moderationem, et opes quaerunt, et dignitates maiores, quod iis turpitudini non duco, quia nec numinis amplitudo cum decore pugnat nostro, nec salus publica excludit privatam. Quae cum ita sint, ut praecleara ingenia contentus atque egestatis formidine impediuntur, quo minus formandae iuventuti se tota consecrare constituant, ii contra Patronorum scholarum beniuolentiam blanditiis atque assentionibus aucupentur, atque colligant, qui panis, *extra scholam* lucrandi, spem omnem deposuerint, quid hic, quaeso, dicas mihi, proficiunt leges, atque instituta publica, si desunt, qui illis pro dignitate satisfaciant? *consilia*, inquit *CICERO*, *ex euentu, non ex voluntate, probantur*, irrita igitur sunt omnia, quae pro emendandis rebus scholasticis vel Sapientissimi et Optimi Viri ceperint, nisi bonis magistris, qui dexteritatem cum fide coniungant, exsequenda tradantur. Operam perdes, magistrum, eximium ingenii ornamenti destitutum, munerique scholastico, quasi arti illiberali atque fordidae, ex solo quaestus atque lucri studio, *mechanice* adfectum, si in aliam quasi formam mutare, siue salubrioris disciplinae studiosum, illique aptum, reddere coneris, maior honoris cumulus accedat

dat scholae magistris, subleuetur illorum inopia, et statim plures melioresque reperientur, qui in illa iactare se cupiant. Videas igitur, quanto opere dolendum iam hoc sit impedimentum, quod emendandae rei scholasticae obicit praeceptorum *Humilitas!* quid tristius, quid luctuosius est, iactura saluberrimorum consiliorum in re tanti ponderis, quanti est salus scholarum publica? Porro, *domesticae angustiae, atque contentio publica vel fortissimum quemque deprimunt.* Multum abest, ut rideam, si *SENECAM* lego, quoties vero in eiusmodi locum incido, ubi de *angustiis rei familiaris* loquitur, nec solum illarum ferendarum adminicula suadet, sed illas ipsas etiam amandas, atque *Philosophiae* amicas nominat, tunc non possum, quin risum capiam. Ipse enim hic bonus Philosophus, a *NERONIS* profusa liberalitate atque munificentia non tam adiutus, quam satis superque ornatus, omnium certe ineptissimus fuit ad eiusmodi consolationes, et omnis verborum copia, qua in attenuata re domestica commendanda vitur, eius ingenio, quod saepe admiramur, multum detrudere videtur. Nec magis delector loco *CICERONIS*; de animi fortitudine lib. I. Officior. cap. 20. luculenter instituyente, ipse enim *CICERO* in Orat. pro *Quinctio* dicit: *dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem, et lib. XIII. ad Diuerf. epist. 5. grauissimum est, cum superior factus sis ordine, inferiorem esse fortuna.* Homini, publicis negotiis atque partibus curandis non dissentio et implicito, multo plures, ad perferendam contentionem atque paupertatem, vires esse, quam, qui quotidie animum intentum dirigat ad studium indefessum, quo muneris, sibi demandati, curae respondeat, nemo sane est, quin persuasissimum habeat. Huic addas singulares quasdam difficultates, quae muneri scholastico permultis hominibus propriae videntur, quaeque, si *ignominia* atque *egestas* accesserint, tantam illi grauitatem atque molestiam afferunt, cui sustinendae vel fortissimi animi vis ac robur non sufficiat. Qua alacritate vices tunc obit magister? qua animi hilaritate, quo vigore aut explet capacium ingeniorum cupiditatem, aut incitat lentorum tarditatem? fracto animo intrat auditorium, innumeris fere curis atque aerumnis onustus et subactus, obducta fronte, escendit ad suggestum, anxia fortunae aduersae, qua premitur, conscientia dissipatus, in docendo, angore quodam constringitur, tota eius disciplina languore retardatur, hic nullus ardet feruor, non audiuntur ioci, quibus

suau-

suauitas, honestate non laesa, adspargatur rebus tradendis, et attentio in-
 cendatur, iuuenum responsiones, incrementa quotidiana comprobantes,
 ad maiores adhuc vires excitandas, non ornantur laudibus, quid? quod,
 ne hilari quidem atque sereno vultu excipiuntur, vel leuissimi discipulo-
 rum errores maxima admonitionum grauitate emendantur, et vel mini-
 ma morum vitia summa seueritate puniuntur, omnia lugent, tota scho-
 la confecta senio est, squallet Religionis officina, afflictaur Musarum
 domicilium! Sed, missis his, *quam multis, quamque pretiosis subsidiis in-
 diget Humanitatis disciplina!* Saepe quidem illos animi causa mihi deli-
 go, qui, ingenti felicitati omnia tribuentes, negent, multis libris opus esse.
 Plerumque enim eiusmodi sunt homines, qui, praeter panem lucrandum,
 in acquirenda eruditione non adeo multum laboris atque molestiae pertu-
 lerunt, sed horum insipidae sapientiae alumnorum si quis eadem ludi
 magistro suaderet, nemo certe prudentiorum esset, qui risum retineret.
 Omnes, qui modo aliquam muneris scholastici cognitionem sibi acquifue-
 rint, faciles se praebent in concedendo, pauca vitae genera inueniri, quae
 tanti pretii adiumenta postulent. Perpendas numerum *auctorum classico-
 rum*, in quibus solis recondita est vera *Humanitas*, quorumque assidua
 familiaritate, quamuis non omnes cum discipulis sint legendi, ipse tamen
 praeceptor quam maxime indiget, quot, quantique sumtus, ad illos com-
 parandos, sunt impendendi! vinculum, quo graeci et romani scriptores
 inter se sunt copulati, tam arcte constructum est, vt, ad penetrandos inti-
 mos viriusque linguae recessus, non sufficiat, aliquot illorum legisse,
 hoc potius necessario non tam postulatur, quam exigitur, vt *pro aetatis
 serie* dies noctesque in manibus nostris *omnes* in vniuersum sensim versen-
 tur. Quis inops vero illos omnes sibi comparabit? quas editiones sibi
 conquiret? vix maxime necessarias, quibus emendis in administranda mu-
 neris demandati prouincia nullo modo superfedere potest, et praeter illas
 haud adeo multas, sibi colligit, *Casaubono, vero Gronouio, Graeui-
 o, Weselingio, Dukero, Drakenborchio, Perizonio, Spanhemio, Ritters-
 husio, Hemsterhusio, Lindembrogio, Westerhouio, Hauercampio, Cor-
 tio, Burmanno, Oudentorpio*, aliisque, substituere cogitur *Minellium,
 Boeclerum, Vorstium, Gryphium, Cyprianum, Colerum, Loccenium,
 Lubinum, Lambinum, Kirchmaierum, Farnabium, Heinsum, Heinec-
 cium, Bondium, Godelenaeum, Cellarium, Heumannum*, quid? quod,
 Schoe-

Schoenemannum et *Ayrmannum*, qui omnes (praeter hos pigritiae atque supinae negligentiae socios, quos postremos nominauimus,) iuueni satisfaciant, eiusque commodis satis inseruiunt, magistrum inopiam non subleuant. Quid igitur est, quod, stipatus hac subsidiorum caterua, hisque cornibus copiae instructus, ad elegantiae, venustatis, vbertatisque sensum atque imitationem in fingendis discipulorum ingeniis conferat? quam lucem infert locis, difficultatibus atque tenebris offusus? quo artificio, qua prudentia medetur lectioni corruptae? deinde, quanti licet cura reliquorum *Humanitatis* adiumentorum! subducas rationem impensarum inde a *Lexicis*, quae dicuntur, maxime *etymologicis*, et progrediaris in computando ad auxilia *Historiae*, *Critices*, *Antiquitatum*, *Geographiae*, atque *Chronologiae*, quis inopum atque egentium praeceptorum sumtus, in eiusmodi libros impendendos, fert? *lexicis*, quae vix, ac ne vix quidem mediocritatem excedunt, et *compendiis* contentus, opus est, vt et suam, et alumnorum cognitionem, molestissimis angustiis inclusam, contineat. Quid vero scholae praestat magister, omnibus his subsidiis, paupertatis inuidia, destitutus? quam late patere potest ipsius eruditio? qua exquisita disciplina imbuunt alumnorum animos? Quamuis enim omnia, quae ex fontibus in institutione scholastica sunt deriuanda, non *copiose*, et fines scholarum angustos excedente ratione, sed *breviter*, et *perspicue* sint tradenda, praecipua tamen ratio habenda est *diligentis* atque *accuratae* disciplinae, cui haud raro aut desunt, aut saltem non integre consulunt *compendia*. Non luctuosissima igitur incommoda ludis parit praeceptorum *Humilitas*? Iam, quod iniquissimum est, *contemptio magistrorum in ipsum scholarum dedecus conuertitur*. Ea in aestimandis artibus peruersa animi humani indoles, qua contemptum, solis illarum magistris *iure* debitum, in ipsas artes transferre solet, adeo communis atque frequens videtur, vt neminem prudentiorum amplius in admirationem rapiat. Contemptus, ad quem

Gram.

Grammatica vocari solet; solam hanc originem habet, ex sanguis, fœtilis, ieiuna, et virgæ atque baculi pondere innixa regularum huius scientiæ inculcandarum ratio fecit, vt ipsa Grammatica in tantum odium incideret, et *Critices* nomen ideo apud multos magnam sibi contraxit suspitionem, quia nonnulli illorum, qui hanc disciplinam profitebantur, in solis verbis, in minutis quaestiunculis, in syllabis, ac singulis paene literis, in verborum interpunctionibus, et in veterum librariorum erroribus, versati sunt. Haec omnia, vt iam dixi, non tanti sunt, vt admiratione digna putentur, maximæ enim hominum parti haud facile est, singulorum culpam segregare ab innocentia vniuersorum, et ingenium humanum natura procliuè est, ad vitia hominum cum rebus communicanda. Hoc potius est, quod stupeas, permultos inueniri, qui indignitate ista, quam *scholarum magistri* experiuntur, *ipsam scholarum publicarum disciplinam* metiantur. Per se iam maximæ inhumanitatis, quid? quod, saeuitiae atque crudelitatis est, eiusmodi homines, qui vera et magna in iuuentutem, atque adeo ciuitatem, merita conferunt, contentui habere. Quodsi *ipsae scholae* hanc *iniustam* praeceptorum calamitatem suslinere coguntur, neque hanc labem a se depellere possunt, quid insolentius, quid iniquius, quid absurdus cogitari potest? Nil tamen frequentius accidere solet. Multos parentum pudet, liberos tam vilibus capitibus committere, haud pauci illorum, non solum ipso- rum originis, aut muneris splendore atque dignitate, sed etiam tristi et lugubri scholæ publicæ magistri adspectu, et contemptu exinde orto, permoti, persuasum non habent, filium, *magni nominis paterni aliquando heredem*, ab eiusmodi *humuncione* ad praesentis aetatis delicatissimum morum venustatem fingi posse, atque poliri, eligunt potius aliquem, siue *primum utcumque* mercede conducunt, qui intra domesticos parietes, in bonæ matris gremio, (ne dicam illum *erudiat*, id quod filioli molli- tatiæ atque lasciuia non magis, quam maternæ teneritati, responderet.)

suauissima et dulcissima ratione, per iocum lusumque, *aliquid* artium, et *multo plus* praedicatae urbanitatis, illi *insillet*, atque *leniter infundat*. Quid igitur? non minuitur numerus discipulorum in scholis publicis? non exarscit flos, non obscuratur gloria ludorum? *Ipsi* denique *discipuli, cultu humili magistrorum offensi, illos derident*. Haec enim est animi puerorum atque iuuenum natura, vt, pro mentis imbecillitate, eos non prosequantur reuerentia, qui exquisita eruditione atque dexteritate obseruantiam mereantur, sed quos parentes ipsorum, alique inepti, magna aestimatione dignos censeant, contra omnes illos, qui illis iniquis Censoribus non videantur venerandi, in nullo habeant pretio. Absoni atque friuoli sermones, quibus parentes humiles scholae magistros profcindunt atque lacerant, animis liberorum tam alte imprimuntur, vt contentum praeceptorum scholis importent, et, quicquid ex illis instituen- do, monendo, et castigando audiant, id omne ludibrio atque risu excipiant. Horrendum dictu! sic euanescit et irrita fit omnis sperata scho- larum publicarum salus, sic iuuentus, cui debita in magistros reueren- tia mature esset non tam commendanda, quam inculpanda, in inso- lentiae atque pertinaciae in praeceptores consuetudinem deducitur et cor- rumpitur, sic schola ipsa, sedes pietatis atque honestatis, mutatur in domicilium perfrictae licentiae, effrenatae lasciuiae, atque abominandae malitiae!

His finem imponere volui commentationi, progrediens ad propo- situm, quo impulsus, illam scripsi, sed amor, quo in *Lyceum* nostrum feror, et laetitia, quam ex eius salute *speranda* percipio, me tanta vi, cui resistere nequeam, incitant, vt SENATVI SPLENDIDISSIMO publicas gratias agam, quod EI placuit, luculentissimum beniuolentiae in *Scholam*, iam dudum agnitae, documentum nobis *praeceptoribus* ede- re. Sapiientiae horum PATRVM GRAVISSIMORVM debemus

EPHO

EPHORVM, et exquisita, non ingeniosa tantum, *Eruditione*, et *sincera*, non simulata, *Humanitate*, ORNATISSIMVM, cuius accuratissimam rerum scholasticarum intelligentiam non minus, quam inegerimum in Scholam huius ciuitatis fauorem, iustissimis laudibus ego *cum optimo quoque* semper praedicabo. Vigilet prouida Summi Numinis cura pro exoptanda salute atque incolumitate eiusmodi ANTISTITIS nostri, firmet atque corroboret animum EIVS in perfringendis *vere saluberrimorum* consiliorum impedimentis, ne (quod tamen quam longissime ab EIVS indefessa assiduitate,) *in curanda re Dei* animo se cecidisse, aliquando conqueratur, augeat in ILLO, si adhuc augeri potest, amorem Scholae, vt, illam *frequentius* visendo, et magistrorum, et alumnorum industriam magis magisque incendat, totamque GENTEM EIVS AMPLISSIMAM, cui maxima reuerentia semper ero deditissimus, suo praesidio, sua cura, sua gratia conseruet, custodiat, tueatur! PATRIBVS VERO CONSCRIPTIS Deus largissime compenset omni felicitatis genere hanc vigilantiam in stabilienda scholae, quam curae cordique habent, prosperitate, annuat clementissime consilii, quae in posterum quoque pro eadem augenda inibunt, IPSISQVE, his maxime periculosissimis temporibus, semper praesto sit fide atque tutela sua!

Dies, qui publicae atque solempni Instaurationis Religionis recordationi consecratus est, nos quoque impulit, vt per quatuor discipulos nostros, ob indolis honestatem commendandos, Deo Immortali gratias ardentissimas perfolueremus. Susceperunt has partes iuuenes sequentes:


- I. Ioannes Gottfried Palmerus, Doebeltitienfis-Misnicus, dicens de praecipuis commodis, ex Sacrorum emendatione in Scholas redundantibus, Oratione latina, cuius in fine pie gratulabitur *Ephoro Dignissimo*.

II. Ioannes Christianus Gottlieb Wohlrabius, Torgauensis, describens calamitatem hominum, ex Religionis verae defectu oriundam, Oratione germana.

III. Ioannes Gottlob Zellerus, Zinna-Misnicus, praedicans dignitatem literarum, Religionis christianae renouatione restitutam, Oratione latina.

IV. Christianus Augustus Pfundtius, Iessena-Saxo, commendans grauissimas Religionis consolationes, immisis a Deo calamitatibus bellicis, Oratione germana, cui addet preces, ne magnificentiae in Scholam documenta calamitosissimis temporibus minuant Auditores Spectatissimi.

Ad hos audiendos, vt PATRONI atque FAVTORES Lycei pridie Kalend. Octobr. hora II. frequentes conueniant, humanissime et officiosissime oro rogoque. Scrib. Torgauiae, Nonis Octobribus, A. I. S. MDCCLXXVIII.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
was 75 flut /

R

VD 17





63

PTORVM PRAECIPVO
 LASTICAE
 MENTO
 SCHOLASTICA
 AD
 EVOR
 ATIONES
 RELIGIONIS MEMORIAE
 CRO
 AVDIENDAS
 ME INVITAT
 RICVS SENTENIS
 RGAVIENS. RECTOR.



~~~~~  
 SIAE,  
 IACOBÆERIANA,  
 LXXVIII.

